



4471

36
10. M

Q. D. B. V. 1703, 9
De

PUNCTO MORALI

EXERCITATIO ACADEMICA,

Quam

Inclutæ Philosophorum Facultatis

in

ALMA UNIVERSITATE LIPSIENSI

Benevolo Consensu

ad diem XXVII. Aprilis, Anni M DCCIII.

H. L. Q. C.

placidæ Eruditorum Censuræ

subjiciunt

M. MICHAEL Gottlieb

HANSCHIUS,

Gedanensis,

&

CHRISTOPHORUS HÜBNER,

Vratislaviensis, B. A. & Philos. Baccal.

& SS. Theol. Stud.

Literis CHRISTIANI GOEZI.

Sp. L. Oleari



VIRIS
PERMAGNIFICIS, GENEROSIS, MA-
XIME STRENUIS,
DN. REINHOLDO WIEDERO,
INCLYTÆ REIP. GEDANENSIIUM
PRÆCONSULI ET H. T. PRÆSIDI;
DN. CONSTANTINO FREDERO,
PRÆCONSULI EJUSDEM REIP.
ET H. T. PROPRESIDI;
DN. GEORGIO SCHR OEDERO;
DN. GODOFREDO REYGERO;
DN. FRIEDER. Gottlieb Engelken;
EJUSDEM CIVITATIS CON-
SULIBUS:

*PATRIBUS PATRIÆ, IMMORTALITER
DE ILLA MERITIS MERENTIBUS QUE, DOMINIS
MEIS PATRONIS, EVERGETIS AC MÆCENATI-
BUS OPTIMIS MAXIMIS,*

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS
IN OBSERVANTIÆ DEBITÆ ETERNIQUE OBSE-
QUII SIGNUM, STUDIORUMQUE MEORUM
ULTERIOREM COMMENDATIO-
NEM,

SUBMISSISSIMA MENTE

D. D. D.

TANTORUM NOMINUM
CULTOR DEVOTISSIMUS
M. MICHAEL Gottlieb HANSCHIUS, GEDAN.



I N J.

S. I.



DE Puncto Morali quædam commentari instituens, primùm, quid eo titulo intellectum velim, erit monendum, ut constare possit, quos intra cancellos tenere se debeat præsens Dissertatio. Ad quod haud exiguum afferet momentum, paucis in antecessum nomen ejusque acceptionem præ-

libare. Derivatur autem Punctus seu Punctum à *pungo*, quod secundùm nonnullos κατὰ μέθεσιν à *Pugno* dicitur; secundùm alios autem ab inusitato *pugo*, quod ab æquè inusitato πῆγω, figo, descendit, deducitur; quod enim *pungo*, in id aliquid acutum figo; indeque punctum, quasi quod punctione factum.

S. II.

Neque unâ ratione apud Authores legitur. In genere exile quodvis ac insigniter minutum puncti notionem sustinet. Grammaticorum etiam filii familiaris hæc vox est, certumque distinguendi orationem, quæ scribitur, modum notat, omninò necessarium nisi confusa tota lectio atque intellectio evadere debeat. Quo sensu colon, semicolon & comma eidem opponi solent. Eloquar id elegantibus Lipsii verbis *Epistolarum Selectarum Centuriâ III. Miscellaneâ Epistolâ 39.* COMMA, inquit, (locum invenit) ubi minima respiratio est & semicirculo notamus. SEMI-COLON, ubi paullo major, nec ad Colon tamen accedit, notamusque; quod locum sæpè habet in *contrariis*, aut *disjunctis*, aut variâ Partitione. COLON autem sententia in parte perfectâ, sed etiam crescente, & signamus duo Puncta: at Periodi nota est

A 2

PUN-

„PUNCTUM longæ sive brevis. Nam & breves Periodi sunt (in
 „epistolis creberrimè) quasi membra; & hæc ipsa *Punctus* signet;
 sed cum discrimine, ut grandiore capitali literâ non excipiantur.
 Atque de Puncto in hoc sensu accepto Nicanor Grammaticus Her-
 miae filius Alexandrinus temporibus Adriani Cæsaris aliquot libros
 composuit, cujus Suidas autor est in voce *Νικάνωρ* illum *περὶ συ-
 γμῆς τῆ καθόλου βιβλία* ἐξ scripsisse referens. Et propterea
Στιγματίας à nonnullis scopticè vocatus est. Vid. etiam *Vossium*
de Historicis Græcis Lib. 2. c. 12. p. m. 221. Cognata huic Puncti si-
 gnificatio in Methodologiâ occurrit. Ubi quidem materiam per-
 tractandam variâ formâ extrinsecâ, vel in certis Libris, vel Sectioni-
 bus & Subsectionibus, vel Membris, Punctis, aut Capitibus &c. pro-
 lubitu proponi posse docetur. Sic Ebraeorum Vocales Punctorum
 nomine veniunt. De quorum antiquitate & origine inter multos al-
 ios & fuscè & eruditè in peculiari egit Tractatu Buxtorfius. Sed nul-
 la harum Puncti acceptionum nostræ impræsentiarum considera-
 tionis est.

§. III.

Amplior multò Puncti Usus apparet in spherâ mathematicâ,
 ita ut Mathematici hunc sibi Terminum jure suo vendicent. In actu
 signato Geometræ Punctum considerant, idque communiter desin-
 nire solent, quòd sit, cujus pars nulla est, præcunte *Euclide I. defn. I.*
thesis inchoans fluxuque suo procreans & terminans magnitudinem
Eucl. III. def. I. ita tamen, ut non sit pars lineæ aut principium ma-
 teriale, sed efficiens. In quo differre illud volunt ab Unitate, quam
 principium & simul partem homogeam ac Mensuram Numeri
 appellant, quam litem nostram jam non facimus; sed rectene an-
 secus partes dissentientium sustinuerint Ramus & Salignatus, aliis
 discutiendum relinquimus.

§. IV.

Præterea his possèt addi citra absurditatem Punctum Logicum
 atque Metaphysicum, quorum hoc Singulare aliàs vocatur, ac idèd
 hoc nominis sustinere possèt, quòd nequeat dividi in plura talia, qua-
 le quid est ipsum totû, in quo differt ab Universali, quod non respuit
 communicationem *κατὰ μέγεθος* s. secundum essentialem participa-
 tionem, h. e. aptitudinem inesse multis, in quibus totum secundum
 totam suam rationem multiplicetur. Resultat inde Canon ille Me-
 ta-

24
taphysicorum: *Omnis essentia*, nempe in fratu singulari spectata, consistit ἐν ἀτόμῳ seu *Essentia rei est indivisibilis: Essentie rerum, sunt sicut Numeri.* Sicut enim numeris nihil potest vel demi vel addi, ut idem maneat numerus: ita pariter, ut eadem maneat essentia, nihil vel addi potest vel demi, ne quidem per absolutam Dei potentiam, qui, si hominem ab æterno producere & potuisset & voluisset, necessario animal rationale creasset, nec eum aliter quàm talem creare potuisset: contradictionem quippe implicat, aliquid esse hominem, nec tamen habere essentiam humanam. Sed hæc ὡς ἐν παραδοξῶ. Logicum Punctum dici ob analogiam posset notio illa secunda, quam individuum aliàs appellant, illique rei applicat, quæ in prædicamento collocata immediatè supra se habet speciem specialissimam: siquidem sicut Punctum est principium magnitudinis in Mathesi, ita illud est basis & quasi centrum omnium generum & specierum, quo sublato tolluntur etiam omnia genera & omnes species, & in quo velut in centro superiora omnia confluunt & radicantur. Quæ tamen omnia nemo eò fortè trahat, ac si receptos hæctenus terminos temerè immutare, novosque sine necessitate introducere gestiamus; quibus saltem analogiam quandam cum puncto Mathematico, prædictis Terminis intercedere, animus fuit hæc occasione ostendere.

§. V.

In Physicis Puncta vocantur Atomi physicæ seu minutissima & simplicissima Corpuseula. Hæc Puncta Physica utrum absolutè sint indivisibilia & expertia omnis longitudinis, latitudinis & profunditatis; an verò in infinitum divisibilia, rerum naturalium scrutatores inter se disceptent: nostri illud hic instituti non est. Confer interim *Stephanum Chauvin* in *Lexico Philosophico* sub V. *Atomus*, & *Punctum*. nec non *J. B. du Hamel Phys. General. Tract. II. dissertat. I. cap. 3 pag. 136. seqqqq. Robaulium Tractat. Phys. Parr. I. cap. 9. p. 35. sqq.* imprimis autem, qui unus instar omnium erit, *Celeberrimum Joh. an. Christoph. Sturmium in Phys. Hypothes. Lib. I. Sect. I. c. 2. p. 29. seqq. 33. seqq. 45. seqq.*

§. VI.

Sumitur insuper Punctum quoque haud infrequenter pro *sus-
fra.*

fragilis, ita enim Cicero usurpat *Orat. pro L. Murenâ p. m. 491. f. & Orat. pro Cn. Plancio p. 632. b.* ut & Horatius de *Arie Poët. v. 343.* Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci, h. e. omne suffragium meruit. Veteres enim suffragia sive sententias non voce dicebant, sed per ceratas tabellas, quæ circumferebantur à Viris popularibus in Comitibus, in quibus perscripta Candidatorum seu Petitorum nomina erant. Pro quolibet eorum igitur, qui sentiebat annotabatur Punctum. Qui plura autem Puncta tulerat, vincebat. Vide omnino, quæ de hac atque aliis Puncti significationibus observata, ex variis auctoribus invenies in Fabri Thesaurò sub V. Pungo de anno 1692.

§. VII.

Sed omnes hi hæctenus recensiti Puncti significatûs à scopo nostro planè alieni sunt. Quare ulterius inquirendum erit in diversam adhuc ab hucusque adductis significationem. PUNCTUM enim MORALE est, quod Tibi L. B. jam sisto, Grammaticis Punctum Grammaticum, Mathematicum Mathematicis, Physicis Physicum, & si quæ alia datur Puncti acceptio, illam aliis relinquens penitius contemplandam. Nullam etiam Punctualitatis habiturus rationem, in quantum illa est nimia in minimis cura ac sollicitudo, vide de *Celeberr. Dn. D. Becmani Lin. Doctr. Moral. c. 4. §. 18. pag. 68.* ac quandam cum Præcisiuitate Voëtianâ cognationem alit, quando sc. in indifferentibus alteram partem eligendo eidem tam strictè & anxie adharemus, ut alteram partem itidem non malam aversemur, eo sine, ut exactè perfectè ἀκριβῶς & in minimis etiam actiones nostræ cum lege conveniant.

§. IIX.

Erit igitur tandem declarandum, quid hoc nomine intelligam, ne παραδόξολογῆν multis forsan sine causa videar. Est autem, ut opinor, satis notum, Punctum sæpenuerò apud probatissimæ latinæ Auctores pro angustissimo temporis spatio usurpari. Cumulum testimoniorum offendes in citato Fabri Thesaurò, quibus ad-

dere,

dere, si voles, poteris *Ciceronem Lib. 6. Epist. ad Famil. ep. 5.* Itaque ne *punctum* quidem temporis in istâ fortunâ fuisses, nisi &c. *3.* *Omt. Philippic. Secund.* Attende enim paulisper, cogitationem, que sobrii hominis *punctum temporis* suscipe. *pro L. Flacco. Re.* vocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam, ad illam universorum Civium Romanorum per tot urbes *uno puncto temporis* miseram crudelemque cædem &c. *Et Livium III. ab U. C. cap. 27.* *Puncto temporis* maximarum rerum momenta vertuntur. Cui geminum est illud:

Accidit in puncto, quod non speratur in anno.

Ut plurima alia hujus commatis exempla apud Authores passim obvia silentii populo involvam. Patescit itaque ex allatis, *Punctum*, etiam quandoque fragmentum temporis minimum designare, quod *Instans*, itemque *Momentum* alio nomine vocant, quodque sive præsens, & jam sit, sive nondum sit, & demum futurum, sive non amplius sit, & præteritum, ejus naturæ est, ut partibus careat & indivisibile sit; Nam præteritum fuit olim præsens, & futurum, erit præsens. Jam verò plures partes habere præsentis sive actu simul existentis, est contra naturam temporis essentialiter successivam. Videri potest *Chauvin. in Lexic. sub V. Instans.*

§. IX.

Atque in sensu huic cognato ad *Morale* forum tractum est, & perexiguum temporis spatium inibi designat. Quod ipsum nobis jam exemplis quibusdam ex *morali Philosophiâ* selectis ante oculos ponere, incumbit. Offert se autem initio statim *Defensio Vitæ* suæ, in quâ hujus *Puncti* eximius præ reliquis usus emicat. Quamobrem in *Vitæ* defensione *Punctum* hocce declarasse nobis sufficiet, quod deinceps ad consimiles cognatosque casus applicare in proclivi erit. Habemus ducem atque testem *Virum* suo tantum, hoc est, omni adjectitio majore nomine compellendum *Hugonem Grotium* id vocabuli ad exprimendum illud tempus, quo *judicia momentaneè cessant, bellumque privatum incipit, expressè accommodantem*

tem *Lib. II. de Jur. Bell. & Pac. c. I. §. 5. num. 1.* Addo ei Virum
Summum *Samuelem Pufendorfius Lib. II. de Jur. Nat. & Gent.
cap. 5. §. 6. & 8.*

§. X.

Nos ne in explicatione hujus Puncti aberremus, præsupponimus defensionis bonitatem, ad quam præcipuè tum injustus invalor, tum innocenter invalor requiruntur, sicut à Doctoribus Jurisprudent. Naturalis fusè docetur, quæ brevitatis gratiâ hic repetere super sedemus, ne longius evagando finem & modum Dissertationis transcamus. Vide interim Autores citatos à *Kulpifso Colleg. Grotian. Exercitat. II. p. 23.* Quibus ita constitutis non moraliter licitam tantum esse defensionem sui in puncto susceptam, nec solâ juris naturæ concessione seu permissione, quod quidem Zieglerus existimat ad *Grot. Lib. I. cap. 3. §. 3. & c. 4. §. 2.* sed & præcepto niti pronunciamus. Vid. *Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. Lib. II. c. 4. §. 16. & c. 5. §. 2.* *Illustris Dn. D. Stryk. Dissert. de Jure Hominis in seipsum c. 3. num. 3. 4.* *Dn. D. Thomafius in Jurispr. Divin. L. 2. c. 2. §. 83. seqq.* Perquam Reverendus *Dn. Rostenscherus, Cognatus, Fautor, Studiorumque Promotor prolixè venerandus in Dissertat. de Defensione sui §. 5. p. 24. 25.*

§. XI.

Ut autem de hoc puncto eò meliùs constet, minimè negligi debent, quæ modò laudatus Pufendorfius observat, probè distinguendum esse ratum statum, in quo vivimus, quippe quod haud parum faciet, tum in universum ad genuinam defensionis propriæ indolem, tum in specie ad Puncti Moralis hic conspicui durationem accuratiùs cognoscendam. Quem in finem notari meretur in signe discrimen inter statum hominis *naturalem & civilem.* Nimirum eum nondum primitiùs homines iniissent pactum inter se de constituendâ societate aliquâ civili, sed viverent adhuc in familiis segregibus, ubi quilibet paterfamiliâs caput erat suæ domûs, tum, inquam, obtinebat Status naturalis, sive Naturalis Libertas, in quâ si alter mihi-

hi injuriam injustè intulisset, atque, ita quidem, ut nullà poenitentia ductus in proposito suo mihi injustè nocere constanter perrexisset, longè amplius spatium expediendæ defensionis indultum fuisset, potuissentq; hostem ubi ad injuriam mihi inferendam, illum se comparare intellexissem aut atroces minas spargere percepissem statim aggredi & in apparatu occupare, etsi ille conatus suos nondum plenè exseruisset, vitamque meam nondum facto ipso impetiisset. Ratio enim in promptu est: quia in illo statu nemini præterquam DEO fuisset subjectus, atque idèo injurias alterius alià vià prævenire, meaque securitati alio modo alioque consilio prospicere tunc non fuisset datum, & verò societas nulla inter homines potuisset persistere cum impunitate jus naturæ violandi. Hinc potuissent etiam aggressorem post depulsum periculum eousque insequi, quoad satisfactionem mihi præstitisset, satisque mihi ab illo in futurum cautum fuisset, non quidem animo vindictæ meræque ultionis, sed jus naturæ asserendi cupido, quod delinquendo in finem humanæ societatis laditur. At hæc ratio penitus expirat in statu Civili. Postquam enim in minoribus societatibus adhuc viventes homines, ejusmodi deprehensis hujus vitæ periculis atque incommodis, quò magis securitati suæ consulere, se junxerunt, mediante pacto illo adversus naturalem malitiam hominum ab ipsis hominibus auxilium petierunt. Quod factum, dum à naturâ concessæ libertati renunciantes coiverunt in civitates, suas voluntates certorum imperantium arbitrio subjecerunt, illisque omnem potestatem communi consensu abdicativè contulerunt, eum representatione simul poenæ, siquidem diversa & in constitutam civilem societatem perniciosâ velint. Quæ cum ita sint, facilè patet diversum hic judicium de illo temporis spatio ad sui defensionem concessio ferendum esse, longèque angustioribus circumscribi cancellis. Ubi enim non opus est, immò lege vetitum propriis viribus privatoque ex judicio se suaque defendere, sed legitimo civilique procedendi modo coram ordinario iudice jus suum exigere oportet; ibi quoque non licet statim opprimere hostem, simul ac ipsum mortem mihi minari & circa inferendam injustam vim occupari intellexi, sed quilibet tenetur ejusmodi injurias prius

B
ad



ad communem judicem deferre, ejusque auxilium implorare. Neque etiam licet depulso inpraesens intentato periculo contra laedentem eo usque progredi, donec sufficientem ille de non offendendo imposterum cautionem praestet, sed sicut vindictam omninem, ita etiam cautionem illam solius magistratus arbitrio relinquere teneor. Quod si autem magistratus, jus mihi dicere recuset, vel subditi judicem non audiant, vel alia quoque circumstantia judicis copiam excludant, vide *Grotium de J. B. & P. Lib. I. c. 3. §. 2. n. 1. & Lib. II. c. 20. §. 8. n. 5.* tunc demum rursus incido in statum naturalem & propria auctoritate salutem meam mihi licet expedire, eoque modo ac si in libertate illa forem constitutus. Quam diu autem judicia publica in civitate florent, tunc demum violentam mei defensionem licite ordior, quando tempus ac locus non ferunt auxilium Magistratus aliorumque Concivium ad repellendam eam injuriam qua vita vitaeque aequipollens aut irreparabile bonum in gravissimum & certissimum discrimen vocatur, & eo quidem tantum sine, ut imminens periculum & praesentissima mors declinetur, prout haec erudite deduxit *Celeberrimus Pufendorfus Lib. 2. de J. N. & G. c. 5. §. 3. 4. 6. 7.* add. *de Officio Hominis & Civis Lib. I. c. 5. §. 13. seqq. Lib. 2. c. 1. & Diss. de Statu Nat. inter Dissert. Academ. X.*

§. XII. Multo igitur majori jure hoc vocabulum adhibetur ad exprimendum illud temporis spatium quo in statu civili judicia momentanea deficient, sive, quando injustus aggressor more loquendi scholastico *moraliter incipit*, vel invadendo vel se parando & arma arripendo occidendi animo *Vid. Job. de Dicastillo L. 2. de J. & J. Tract. I. Disp. 10. dub. 9.* Quae duo non sine causa jungimus. Neque enim velim tibi persuadeas, eam nostram esse sententiam ac si quis obligetur expectare alterius insultus, primumque sortem ictum excipere, atque adeo ictus qui intentantur duntaxat repellere, ut ejus violenta defensio justa sit ac poenam vacet. Immo potius sub aggressionem comprehendimus, cum adversarius se movet, paratque ad vim injustam alteri illico infe-

inferendam, arma arripit occidendi animo qui praesumi poterit v. gr. si armorum genus quod arripit, sit lethale, si aggressor viribus aut arte penitus sit superior & cetera quae in iudicio ferendo considerari merentur. Quae si animadvertantur in adversario, licet ille nondum ipso actu alterum invadat, & in extremas redigat angustias, praevirti nihilominus posse facinus, omnino putamus. Nam tali rerum statu amplius verendum non est, ne iniusta formido & incerta suspicio sit, quae eousque incerta manserunt, quaecunque etiam signa antecesserint. Unde simul satis apparet, Pun-ctum in moralibus non inveniri sine aliqua latitudine, seu loquitur *l. c. §. I. II. §. 4. Grotius* & cum eo *Pufendorfius Lib. II. de J. N. & G. c. 5. §. 8.*

§. XIII.

Non possum autem quin adhuc dicta illustrandi ergo ad-
jungam verba *Pufendorfii de Offic. H. & G. Lib. I. c. 5. §. 16. I.*
nitium, inquit, temporis illius, quo quis in sui defensionem alium
impune potest occidere, inde sumitur; quando aggressor vo-
luntatem impetendi vitam meam praeseferens, & a viribus in-
strumentisque nocendi instructus, jam intra illum locum extite-
rit, ex quo re ipsa nocere possit, computato quoque illo spatio,
quo opus est, si ego praevinire quam praeviniri malim. Perdu-
rat autem spatium inculpatae tutelae, quoad aggressor fuerit de-
pulsus aut ultrò recesserit, vel poenitentia in ipso facinoris mo-
mento tactus, vel quod conatum ejus eventus destituerit;
ita ut in praesens nocere amplius nequeat, nobisque sit facultas
in loca tuta nos recipiendi. adde *Elem. Jurispr. Univers. Lib. II. Obs. IV. §. 11. p. 431.* Et haec in genere quidem dici possunt, praecise au-
tem in individuo definiri nequit ob infinitos, qui dantur, casus, Casu-
umque circumstantias. Ubi optimum est dijudicationem totius
negotii prudentis Judicis arbitrio relinquere vid. *Baerlerum in
Notis ad Grotium Lib. 2. c. I. p. 5.*

§. XIV.

Elucet hinc simul ratio *Moderaminis inculpatae tutelae*, id circò ita
vocati, quòd ut inculpata sit defensio sui ipsius, cum caede insultatoris
conjuncta, moderamine opus habeat. Ad hoc duo requiruntur. *I. ju-*



sta proportio iniustæ offensionis & justæ defensionis. Nam nihil aliud
 primariò & directè intendi debet, quàm depulsio periculi impen-
 dentis in quantum opus est. Hinc fluit si tutiora remedia præto sint,
 quibus te possis periculo eximere, non tentanda esse extrema v.
 gr. si aditus invaloris intercludi queat, non opus esse cum ipso
 manûs conferere, si humanitate & lenitate à malitioso proposito
 se dehortari patiatur, parcendum esse ei: nam juri naturæ adversa-
 tur hostem ab injuriis adversus me seriò desistere incipientem ma-
 ctare. Neque quacunque levis injuria vitæ adversarii vindicari
 debet. Nam quæ sine cæde peragi potest defensio, ad cædem injus-
 tæ extenditur, v. gr. si levi plagâ vim repellere possum, opus
 non est lethali vulneratione. *II. In continenti facta defensio.*
 Etenim omne bellum privatum (publicum ad Punctum aliquod præ-
 cisè non alligatur) si justum haberi debet ob injuriam non acceptam
 ,, geritur, sed accipiendam & certò futuram nisi arceatur quando-
 ,, quidem moræ periculum judicia ordinaria cessare facit. Jam
 ,, verò interposita mora temporis minuit opinionem necessitatis &
 ,, generat suspicionem doli sive propositi non inculpati, ut scitè ait
 Baclerus ad Grotii Lib. II. c. I. p. 4. seq. Add. Balduinus Lib. 4.
 Cas. Consc. c. 1. cas. 13. p. 663. Seldenus de J. N. & G. Lib. 4. c.
 3. Dn. D. Stryk. cit. Diss. c. 3. §. 5. 6. 7. *§. XV.*
 Præsentibus illis requisitis violenta sui defensio extra om-
 nem pœnam posita est. Sed non immeritò quaeritur: an er-
 gò ante aggressionem non liceat se defendere cum internectione
 adversarii? atque ita: an deficiente hoc puncto morali vitium
 contrahat defensio violenta? Pono sequens Quaestionis exemplum
 suppeditatum à Molinâ Tom. 4. tit. 31. disp. 13. apud Zieglerum, &
 Sayro in Clave Regiâ Casuum Conscientiæ, qui liber lectus mihi a-
 liquando nunc ad manûs non est. Est maritus qui decrevit hæc
 nocte necem uxoris suæ. Ea conscia est hujus firmissimi propositi,
 nec occurrit aliud quid ex quo periculum vitæ evitari possit. Quaeritur:
 an fas sit mulieri hoc casu venenum marito porrigere in cibo
 aut potu, aut sumpto gladio, quem maritus in eum finem sub cervica-
 li

24
4

li reposuit ipsum hunc maritum suum transfodere. In diversa
 beunt Moralitæ in hujus Casus decisione, Nos non possumus non
 affirmantium classi accedere, sequentibus freti rationibus: 1. quia
 interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiam ca-
 sus patet. 2. tum potest haberi Judex. Frustrâ autem aliâs insti-
 tuta esset judiciorum autoritas, si uxori liceret privatam vindictam
 in maritum exercere. 3. positò, id judicî competenti denunciari
 non posse, nec fugæ locum esse, tamen nondum jus nanciscitur,
 maritum suum interficiendi: quia nulla dantur signa de immuta-
 bili ledendi proposito usque adeo certa & infallibilia, quin aliquando
 eventu destituantur, vel eo ipso quòd humana voluntas in instan-
 ti mutabilis est, & Deus corda hominum pro lubitu dirigit atque
 flectit. Prov. XVI. 7. Cum itaque in divinâ providentiâ magnum
 innocentibus positum sit præsidium, conjugem quoque innocen-
 tem in conscientia tutiorem futuram esse, si à divini Numinis di-
 rectione potius, quàm à præventione vitæ præsidium petat cum
*Struvio de Privata Vindictâ c. 4. aph. 2. n. 6. Grotio Lib. 2. c. 1.
 §. 5. n. 2. & Zieglero imprimis ad h. l. p. 193. itemque Kulpisio in
 Colleg. Grotiano Exercitat. II. p. 24. arbitramur Conf. Genes. XXXI.
 v. 22. seqq. quicquid in contrarium disputet contra Zieglerum Hein-
 ricus Henniges ad h. l. Grotii p. 319. seq. & ad Lib. 2. c. 20. p. 859.*
 Ipsa enim naturalis ratio sana prohibet omninò perimere eum, à
 quo mihi nullum imminet vitæ periculum præsens. Quando ve-
 rò evitari adhuc possunt impetitiones, qui metuuntur, jubet ratio
 eique conjuncta charitas, ut quâcunque ratione evites potius, quàm
 vitæ exuas nociturum; quandoquidem de futuris contingentibus
 nulla datur in hominibus certa & infallibilis præscientia. Neque
 enim ex metu meo dijudicanda est periculi præsentia, neque etiam
 destinatio alterius ita præsens reddit periculum, ut defensionem
 occidendus eum, interneccione invasuri omittre amplius nequeat.
 Quid enim si intendens meum interitum cujus animus perspici ne-
 quit, in ipso procinctu ad sanio rem mentem redeat? sanè optima
 quæque de respicientiâ proximi sperare debemus, quamdiu non-
 dum id mali quòd mente destinavit in actum traducere incipit.
 Quodsi verò ferrum aliquis jam stringat, tunc, si aliter me tueri

B 3 non



non possum, eum vulnerari & occidi posse, etiam si vulnus nul-
lum acceperim, ultrò largior.

§. XVI.

Cum abunde constet ex dictis, insignem in doctrina de
Defensione propriâ Puncti usum esse, eoque præsentè, & cæteris
paribus à Jure naturæ non permitti saltem, sed & præcipi vitæ suæ
adversus malitiosum aggressorem secutâ licet internectione ejus-
dem tuitionem: non immeritò quæritur; annon hoc Punctum
etiam in Casibus summæ & cum discrimine mortis conjunctæ
necessitatis usum suum præstet. Varia proponi solent à Docto-
ribus Scholasticis extremæ necessitatis Exempla, quæ singula-
rim hîc referre, ac moraliter examinare constitutos dissertatio-
nis nostræ fines terminosque egreditur. Nos talem casum for-
mamus: Versatur Cajus cum Sempronio in itinere, Cajo sub-
ducitur forte fortuna per fures citra culpam suam viaticum, in-
cipit ille gravissimâ mox egestate premi, & tum quidem nemo
invenitur qui subvenire, aut cui necessitatem aperire posset præ-
ter itineris socium, neque etiam labore vel mutatione soli vel
ullâ aliâ ratione famem & sitim intolerabilem pro tempore se-
dare valet. Implorat vero auxilium socii sui, qui licet abundet
maximè rebus ad famem sedandam necessariis, ipsi subvenire
necessario cibo præfractè injusteque detrectat. Disquiritur
jam; an Cajus Sempronio invito & reluctanti vel apertâ vel clan-
destinâ arte nihilominus tantum de rebus esculentis quantum ad
vitam ita suam sustentandam opus fuerit, eripere sine peccato
possit?

§. XVII.

Non verò dissimulandum est haud ad unum omnes in de-
cidendo arduo hocce casu scopum collimare. Sunt, qui cum
B. D. Meisnero Philos. Sopr. P. 3. Sect. 1. c. 6. qu. 2. Extremam
hujusmodi & insuperabilem necessitatem fingi potius quàm re-
vera

verà dari & sufficienter probari posse persuasi sunt, quos inter
sunt *B. Dannbauerus* Colleg. Decal. disp. 17. §. 5. p. 847. seqq.
Ostander in Observationibus suis ad *Grotium* & in Theol. Casu ad.
P. 2. c. 8. p. 1388., seq. *Zieglerus* ad *Grot.* lib. 2. c. 2. §. 5. p. 229.
seqq. *Henniges* ad h. l. p. 371. *B. D. Alberii* in Compend. J. N.
P. 2. c. 2. §. 24. qui posito etiam hoc necessitatis casu, nihilo-
minus a furti crimine penitus absolvi non posse auferentem statu-
unt. Alii utut largiantur extremam ejusmodi necessitatem;
impunitatem tamen tantummodò adstruunt in foro externo,
eumque excusant à furti in plenà perfectàque vitiositate sum-
pti poenà; at in foro interno conscientia ita aliena surripientem
à reatu absolvere non audent, quo inclinant *Bucclerus* ad
h. l. p. 66. seq. & *Joh. à Felden* in Notis ad *Grotium*. p. 101.

§. XVIII.

Alii è contrario moraliter licitum esse actum illum ege-
n existimant. Sed diversimodè procedunt. *Grotius* Lib. 2. c. 2. de
J. B. & P. §. 6. n. 2. falsa cum Scholasticis (Vide *Leonard. Les-*
sium de J. & J. Lib. 2. c. 12. dub. 12. n. 67. 68. Lib. 2. c. 16. dub. 1.
n. 13. *Dominicum à Soto* de J. & J. Lib. 5. q. 3. art. 4. *Johannem de*
Lugo disp. 16. de J. & J. sect. 7. disp. 21. Sect. I. n. 4. *Joh. de Dicastillo*. de J.
& J. Lib. 2. Tr. 2. disp. 9. dub. 9.) primævæ communionis hypothesi
innixus, ex reviviscente in gravissimâ necessitate pristino jure re-
bus utendi tanquam si communes mansissent, hujus actus mo-
ralem licentiam deducit, refutatus idcirco à plerisque Com-
mentatoribus. *Pufendorfius* autem affirmativam defendens,
necessitatem legi non subjacere, & æquum omninò esse censet,
ut & rem simul suam & meritum perdat, qui ultrò humanus
esse noluit Lib. II. de J. N. & G. c. 6. p. 318. & de Off. H. & C. L. n. c. 5.
§. 23. In quam quoque sententiam eunt *Magnificus*, *Summeque*
Venerandus noster Dn. D. Schmidius in Diss. de Favore Necessita-
tis §. 32. *Summè Reverendus Dn. D. Schelguignius* in Cynosurâ
Conscientia q. 63. p. 540. seqq. & *Perquam Reverendus Dn. Joh.*
Christoph. Rostenschelus in Diss. de Temperato Proprietatis Jure
S. 5.

§. 5. 6. & 8. *Patroni atque Præceptores ad cineres usque devotâ mentis observantiâ prosequendi.* Add. etiam *Kulpis. in Colleg. Grotian. Exerc. III. p. 30. nec non Illustris Viri Dn. D. Strykii Dissertationem de Foro Conscient. c. 6. n. 14. 15.*

§. XIX.

Nos si præter impunitatem etiam jus aliquod concedendum est extremè egeno in res alteri proprias invito possessore involandi; putamus illud consistere in puncto h. e. tam angustis circumscribi finibus, ut ferè ad punctum aliquod redactum sit. Namque requirimus. I. *Defectum Magistratus*, coram quo jus meum necessitatis contra hominem locupletem vindicare possem, cum casum in itinere, vel tempore pestis, & belli, vel etiam in loco ubi nulla est civitas supposuerimus. II. *A parte ejus cui invito aliquid auferitur statum florentem atque bonis abundantem*, ita ut non æquali necessitate prematur. III. *à parte auferentis præcedaneas preces, oblatam operam, & animum restituendi*, ubi ad pingviorem fortunam pervenerit. Jus enim quod habet in rem alienam, ex quo illa ipsi devincta est, non absolutum est, sed ad onus restituendi, ubi necessitas cessaverit, restrictum Vid. *Viriarum Institut. I. N. & G. L. 2. cap. 2. q. 26.* IV. *Extremam necessitatem*, ita ut auferens ob oppiam in periculo, non tantum sanitatis, sed & vitæ amittendæ versetur, quippe nullâ aliâ prorsus ratione famem moræ non patientem levare valens, cujus horrendum exemplum integrum ex Nicolao Tulpio refert *Osiander Theol. Casual. P. 2. c. 5. p. 1271. seq.* V. *Ut neque prodigalitate, neque ignaviâ, & negligentia, aliâve culpâ suâ in statum memoratum incidere.* Morali enim judicio non videtur æstimandum periculum, in quod se ipsum quis conjicit, & unde se potuit eximere, *Grot. Lib. I. c. 3. §. 3, n. 3.* VI. *A parte rei ablata*, ut ne excessivè major sit, quam quidem ad depellendam necessitatem opus fuerit.

§. XX.

Hiscē poſſitis circumſtantiis actum hunc eximere ab obligatione legis, quæ abſtinentiam alieni concernit nulli dubitamus. Neque enim ea fuit Legislatoria Dei intentio, ut lex illa quocunq; tempore & nullo caſu excepto homines obſtringeret; ſed dextrè explicanda eſt ratio legis in applicatione ad caſus ſpeciales prout patiuntur facti circumſtantiæ. Quando igitur proprietatem lege ſua ſtabilivit divinus legiſlator, æqualem in omnibus præſuppoſuit obligationem. A parte poſſeſſoris, ut ille non ſibi tantum prodeſſet bonis ſuis, ſed officia etiam promiſcua humanitatis exerceat, opibusque ſuis egeno proximo ſubveniret. Hoc enim eleganter ait Cicero, *Lib. 3. de Offic. c. 6.* natura præſcribit, ut homo homini quicumque ſit ob eam ipſam cauſam, quod is homo ſit, conſultum velit. Vid. ibi Notas Rachelii. Quo præſuppoſito à parte alterius abſtinentiam à re alienâ requirit. Quod ſi verò exigente ita loco & occaſione aliis re ſibi propriâ inſervire malitioſè detrectaret dominus, huius legis obſervationem præcepiſſe, præſumendum non eſt. Sed potiùs propter ſuperveniẽs neceſſitatis temperamentum, furti interdictum ſive rigor ille juris habendi rem propriam, ita mitigatur, ut cedat ei ex jure naturali, ejuſque exceptionem admittat. Quamvis enim ablatio alieni talis actus ſit, qui in ſe & abſolutè conſideratus tam jure Divino naturali quàm poſitivo prohibeatur; at tamen hic & nunc ob concurrentes circumſtantiæ, quarum minima juris applicationem variare potis eſt, ad legem non pertinere judicatur. Haſ inter ſine dubio locum meret ſumma neceſſitas, quæ tamen ſi me non faciat dominum rei alienæ formaliter, hunc tamen effectum habet, ut quando tempore inevitabilis neceſſitatis rebus alienis utor, furti crimen non incurram.

Addo & hoc, quòd unicuique mortalium ſocietatis cuſtodiam ſeveriſſimè injunxerit divinum Numen extra quam neque naſci neque educari neque conſervari ulli datur. Cùm verò communem illam quæ maximè ſecundum naturam eſt humani generis ſoci-

C cic-

4



cietatem malitiosè dirimat & membrum aliquod societatis in quâ
 vivit, quantum quidem in se est interire patiat, dum res suas egen-
 ti communicare recusat, contra divinam omninò voluntatem egis-
 se dicendus est, & alter hoc statu multò validiorem adhuc ex jure
 naturali oriundam obligationem, quæ ipsum ad sui conservatio-
 nem ita trahit, ut in diversam partem moraliter abire nequeat, me-
 ritò huic, quâ res alienas invito domino contrectare vetatur præfert,
 posteriorisque vim, quia duobus hisce Juris naturæ præceptis simul
 satisfacere nequit, propter prioris arctiorem obligationem neces-
 sitate adactus tamdiu suspendit. Hæc enim præcepta, quibus sin-
 gulis ejusdem societatis membris devincti sumus, meritò cedunt
 illis, quæ nosmet ipsos propriamque incolumitatem concer-
 nunt, sicut hæc illis, quæ ad universam Societatem pertinent. Id
 quod egregie declarat & exemplis elegantibus illustrat *Henricus*
Uffelmannus de Jur. Nat. & Gent. cap. 2. §. ult. & D. Hildebrandus
Dissertat. de Conscient. §. 3. Quid quòd res ablata non dicen-
 da est aliena? quia ex internâ justitiâ & inscriptâ à Deo hominum
 mentibus socialitatis colendæ lege alteri debetur. Cum igitur res
 judicis autoritate, si præsens esset, mihi debeatur, incipit esse mea
 ipso jure quodammodò ipso absente ob periculum in morâ gravissi-
 mum ceu benè scribit *Illustr. Dn. D. Stryk diss. de Jure H. in se ipsum.*
cap. 3. in fin. Hic spectant pariter verba Basilii ap. *Danbauerum Col-*
leg. Decal. loc. cit. p. 848. Est panis famelici, quem tu tenes;
 „ nudi tunica; quam in conclavi conservas, discalceati calceus, qui
 „ apud te marcescit; indigentis argentum quod possides. Quibus
 „ respondent verba Ambrosii in Decreto Gratiani C. sicut ii Di-
 „ stinct. 47. in fin.

§. XXII.

Vidimus hactenus Punctum Morale in vitæ conservatione
 conspicuum; huic fama à nonnullis non æquiparatur tantum,
 sed & longè antefertur. Videamus ergò etiam, an idem in
 honoris defensione obtineat. Is contra calumnias atque men-
 dacia insidiatorum, quin tueri possit ne dubites. Etenim cu-
 jus

24
4

jus acquisitio & possessio justa est, ejus pariter defensio & vindicatio injusta esse nequit. Quoties igitur læditur existimatio nostra, legitimè ac decenter defendi debet. Equidem levem quandam injuriam Vir bonus in honore constitutus ex generositate animi ac Christianâ Charitate solo contemptu vindicare doctus est: at si per gravem atrocemque injuriam honor injustè fuerit ablati, restitutionem justè exigere non potest tantum; sed & debet. Crudelis sanè esset in seipsum nisi famam atque existimationis virtuti vel officio in quo vivit, debitæ honestatem apud bonos periclitantem, tanquam donum divinitus sibi concessum à contemptu vindicaret. Veruntamen mediis illud licitis aptoque modo fiat requiritur. Qualis haud est injuriantis interfectio, cum alia nobis remedia jure concessa sint, & coram magistratu restitutio fieri queat. Sic itaque interfectio honoris tuendi gratiâ nullo tempore culpâ vacat. Sed utrum Retorsio quoque, quæ est rejectio injuriarum verbalium in ipsum injuriantem privatâ autoritate ab injuriato facta illegitimus modus sit, honorem suum per criminationem graviter læsum defendendi non immeritò queritur; nos negativè respondere non veremur, si scilicet retorsio *in puncto* fiat. Idque ideo quia præsentius ac melius, remedium tunc non suppetit honorem defendendi, & cujuslibet interest, ut ne temporis quidem spatio minimo patiatur injurias & scelera sibi cum mendacio afficta in se requiescere. Opinio enim de aliquo semel concepta nec in continentem refutata, post difficulter admodum ex hominum animis eruitur, ut rectè scribit, *Henniges ad Grot. L. 2. c. 20. p. 865. seq.* Et licet retorsio fiat post acceptam injuriam, tamen cessante adhuc sit judicio, atque ita non vindicandi vel ulciscendi, sed saltem purgandi ac liberandi causâ à criminis imputati suspitione, injuria verbalis non nova sed eadem retorqueatur, donec magistratus haberi queat, per quem Deus injurias illatas puniendas ordinavit. Ceterum in hoc quædam manet inter vitæ famæque defensionem convenientia, quòd sicut intentatum vitæ periculum, cum læsione vitæ infaustis licet avertere: ita quoque attentatam læsionem famæ & honoris cum læsione

lacione famæ convitiatoris eluere, ut bene iterum *Henniges l. c. p. 866.* Conf. etiam *Siebenthal / in Colleg. Ethic Exerc. X. q. 5.* Quapropter in Imperio permilla est Vid. *Carpzovius in Prax. Crimin. P. 2. q. 97. n. 24.*

§. XXIII.

Provehimur ulterius occasione à Scholasticis suppeditatâ visurî adhuc an Punctum hocce in solutione, quam momentaneam vocant, locum inveniat? Obtinet hæc secundum eorum opinionem si v. gr. prædoni, pyrata vel latroni ad evitandum præsentissimum vitæ periculum certam pecuniæ summam promittam, hoc sine ut me salvum atque incolumem dimittat. Hanc dicunt promissionem impleri, si solvam quidem latroni promissam pecuniam; sed eam eo momento quo solvi, rursus repetam, ad quod me jus habere autumant, eò quòd momentaneâ solutione satisfiat promissioni cui injuria causam dedit. Conf. *Lessius, de J. & J. Lib. 2. c. 42. dub. 6.*

§. XXIV.

At enim verò adversatur ista Scholasticorum doctrina juri naturali; cujus communio inter homines nullo in statu rumpitur. Hoc præstare jubet, quod alteri ex pactis & conventionibus debemus, quemadmodum id ipsum eruditissimis rationibus præ aliis evicit *Dn. Rosseuscherus, Cognatus atque Fautor eo quo me decet, animi cultu devenerandus in Dissertatione de Obligatione naturali ex promissione oriundâ §. 3. p. 10. seqq.* At quomodo ille dici potest præstasse promissum, qui quod solvit, è vestigio repetit? Cur non etiam eodem jure retinet, quod ipsi alter eodem momento reddere tenetur. Certè si ideo solvit, ut sibi iterum statim vendicat, pari illud loco habendum est, ac si nihil quicquam promississet vel solvisset; immò ridicula est ista opinio, cum latro eo ipso, quod promissum à me exigit, aut acceptat, satis profiteatur, se damnum mihi datum ultrò

ultrò nolle sarcire ceu præclare judicat *Pufendorfus Lib. III. de I. N. & G. c. 6. §. 11. p. 415.* Vid. etiam *Roberius Sander- son de Juram. promiss. oblig. Prælect. 4. sect. 14. seq.* citatus à *Zieglero ad Grot. p. 367.*

§. XXV.

Quamobrem æquius sentiunt, qui ad istiusmodi Punctum so- lutionem hanc non alligant, sed simplicem quoque promissionem in tali casu omninò promissorem obligare, ad fidem in promisso debite servandam statuunt, quod pulchrè ostensum contra Dissen- tientes in cit. modò Dissertatione *Dn. Rostenschéri* videas §. 4 p. 17. *seqq.* Adest namque à parte promittentis Consensus voluntatis, non quidem plenus, attamen sufficiens ad gignendam efficacem ob- ligationem: quoniam id deliberato animo elegit, quod, ubi è duo- bus illis alterum necessariò ipsi foret eligendum, semper eligeret. Deinde res quæ promittitur, nimirum solutio certæ pecuniæ nec in se est illicita, nec legibus publicis contraria, nec juri alicujus tertiæ personæ derogativa. Ex quibus, opinor, luculenter patet, & latro- ni hoste alio non deteriori fidem datam sanctè servandam esse.

§. XXVI.

Facile exinde colliges, multò adhuc efficaciorum produci ob- ligationem, si promissio juramento fuerit confirmata, utut per vim metumque injustè incussum extorto. Per promissorium enim illud Juramentum non homini tantum, sed & ipsi DEO obstrictus sum, adversus quem metus exceptio nulla est, Divinamque Majestatem non servando id, quod juratò promississem, testem ita ac vindicem falsò invocássem. Vid. *Exod. XX. 7.* Conferri quoq; poterunt hæc de materiâ *Lestius Lib. 2. de J. & J. c. 42. dub. 7.* *Azorius Lib. 2. In- stitut. Moral. c. 4.* *Balduinus in Cas. Conscient. Lib. 2. cap. 9. cas. 12. pag. 258.* *Danhauerus Colleg. Decalog. disputat. 7. §. 7. & 9.* *Dorischeus in Theologiâ Morali pag. 33.* *Saldenus in Otiis Theo- logicis Lib. 4. Exercit. 10. pag. 790.* *Rachelius in Notis ad Officia*

Ciceronis pag. 553. Grotius de *Jur. Bell. & Pacis* Lib. 2. c. 13. §. 15.
Osiander in *Observat. ad Grotium* pag. 990. & in *Theolog. Casual.*
pag. 1086. seqq. Zieglerus ad *Grotium* pag. 365. Velthemi-
us ad *Eundem* pag. 900. Pufendorfius in *Element. Jurisprud. Uni-*
versal. Lib. I. definit. 12. §. 41. pag. 205. Uffelmannus in *Tracta-*
tu de Jure quo Homo Homini in Sermonibus obligatur, aliique mul-
ti, quos adeant, qui plura desiderant. Ego L. B. hâc vice ali-
quod saltem Puncti Moralis Specimen communicare tecum vo-
lui. Tu interim conatibus meis fave, cumq̃ue DEO ac die plu-
ra hujusmodi exspecta.

S. D. G.



COROL-

24
COROLLARIA.

I.

Termini definitio Aristotelica, quæ
extat Ἀναλυτικῶν προτέρων *Lib. I. P. I.*
c. I. non est accurata.

II.

Quod nusquam est, nihil penitus
est: uti verissimè dixit Plato *in*
Parmenide p. m. 62. Edit. Lugd.
1590. in fol. ita falsò contrarium
adstruit Cartesius *Part. I. Epist. 69.*

III.

Principium cum causâ perperam
confunditur.

IV.

Indivinis nec Filius à Patre, nec Spi-
ritus S. à Patre & Filio dici pos-
sunt, dependere.

❁ (o) ❁

Ad
CL. DN. M. MICHAELEM **Gottlieb**
HANSCHIUM, Gedanens.

Præsidem Exercitationis de **PUNCTO MORALI**
longè dignissimum.

Non ita multum effluxit temporis, ex quo hanc nostram salutasti Academiam, Fautor Honoratissime. At per illud omne, quod hic transegisti spatium, Te, huc cur adveneris, observasse, & quam studeas adaugere allata tecum, semper ostendisse, mecum qui Te norunt, omnes testantur cum applausu. Loquuntur pro me publica Testimonia, & honores, quibus confestim Te exornare Inclutus Sophorum Ordo non dubitavit, primi, itemque summi in Facultate illa amplissima, quos ante duos, & quod excurrit, menses ritè retulisti. Ad quos etiam non præter meritum Te evectum esse, quò omnibus demonstrares, jam in eo es, ut Præsidem Te sistere non tergiverseris in materia haud proletaria, de **PUNCTO**, quod in casu non uno conspicuum est, **MORALI**. O quantopere Tuis incrementis gaudet Venerandus Dn. Parens Tuus, cui de isthac beatitate gratulor animitus! Quantopere usdem delectatur jucundissima Patria Tua, quam porrò benedictam undiquaque & florentem servet Numen T. O! Et quantopere Te iudabunt illa, qui dotibus, quas possides, magis ac magis adauctis ad Colophonem faustiter pertinges, quem Tibi habes præfixum. Ita de Puncto disputans omne feres Punctum feliciter. Quod sincerè ut apprecor Tibi, Vir Clarissime, ita ominor letabundus. Scribeb. Sacr. inter Meditat. Calam. deproper. d. 21. April. 1703.

T.
D. Gottlob Friedrich Seligmann.






vd 18

ULB Halle
005 362 261

3







Q. D. B. V. 1703,9
De
PUNCTO
MORALI

EXERCITATIO ACADEMICA,

Quam
Inclutæ Philosophorum Facultatis

in
ALMA UNIVERSITATE LIPSIENSI

Benevolo Consensu

ad diem XXVII. Aprilis, Anni M DCCIII.

H. L. Q. C.

placidæ Eruditorum Censuræ

subjiciunt

M. MICHAEL Gottlieb
HANSCHIUS,

Gedanensis,

&

CHRISTOPHORUS HÜBNER,

Vratislaviensis, B. A. & Philos. Baccal.

& SS. Theol. Stud.

Literis CHRISTIANI GOEZI.

Hu L. Olea